



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Illustrissimo, Ac Reverendissimo D. D. Fernando arias Ugarte Hierarchæ
Limano Maximo, Principi optimo, Præsuli admirando, incomparabili Viro ad
æterna nato, quinquies Episcopatum, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)



ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO

D. D. FERNANDO

ARIAS UGARTE

HIERARCHÆ LIMANO MAXIMO,

Principi optimo, Præsuli admirando, incomparabili Viro ad æterna
nato, quinquies Episcopatum, Archiepiscopatumque
infulis insignito.

PATER ILDEPHONSUS DE PEÑAFIEL
*in observantia, & obsequiis tesseram summam felicitatem
exoptans mittit.*



LIBER meus qui est de Theologia Scholastica Naturali
venit ad te (PRÆSUL ILLUSTRISIME) ut tuo sub
nomine lucem publicam adspiciat, subeatque iudicium
 sæculi eruditissimi. Est quidem opus ex materia, & ar-
gumento satis splendidum, ac nobile; tenue tamen, ac
minime spectabile ex parente; Ideo nomen in fronte tuum
præferre gaudet, ut quam ab Auctore gratiam non spe-
rat, habeat à Patrono. Profecto si quid mihi tanquam
Parenti debet liber, illud sentio esse præcipuum, quæsisse me illi Propugna-
torem, non quemcumque, sed egregium, sed maximum; eum (inquam) in
quo uno video omnia, quæ desideraveram in viro, cui qui scriberent, rite ac
jure possent suas offerre lucubrationes. Dedicant alij litterarum labores viris,
et si nobilibus, at inanibus earum artium, quæ illis inscribuntur: verum hoc fru-
stra, ac vanè fieri arbitror; cum hoc perinde sit, ac surdo cytharam dare. Con-
secrant alij quæ edunt volumina, litteratis hominibus, nulla tamen nobilitate
conspicuis; equidem horum consilium, ut improbem, illud me movet, quod
experientia docet, non esse multi roboris, nec æstimari Patrocinium, quod pro-
ficiscitur à litteris, auctoritate, ac splendore, tum natalium, tum maxime san-
ctitatis destitutis. Quapropter si in aliquo generis claritudo cum litteris, litteræ
cum luce nobilitatis nobilitas, cum vitæ integritatis, ac puritatis fulgore repertæ
fuerint, illum arbitror perquam idoneum, cui scriptores inscribant, & nuncu-
pent

EPISTOLA.

pent libros, ac volumina nimirum quantum diligentia, ac studio, assiduâque mentis cogitatione elaborata.

Obtigit mihi fors foelicissima, faustum hoc omen, dum te operi meo (Hierarcha sapientissime) adlegi Patronum, ac Mæcenatem: eum enim adlegi, in quo cum nobilitate litterarum peritia, cum litteris sanguinis claritas est omnino maxima, cui perdifficile est, non dico maiorem, sed ne parem quidem invenire toto hoc Peruano tractu, & quod caput est, cum prosapiæ fulgentissimo splendore tot miræ sanctitatis, tot inculpatæ, ac vitæ integritatis, tot prudentiæ providæ, tot denique optimi cuiusdam Ecclesiæ Præfulis dotes, & ornamenta cumulatissimè reperiuntur, ut omnia hæc in te unum tanquam omnium bonarum artium thesaurum, quasi secum certans, natura congesserit abundanter. Verùm enim verò cum multa sint, eaque eximia, quæ jure quidem optimo animum excitare, ac promovere posse videbantur: illud in primis maxime præsentem scopum recta collimandum cogere non desistit, quod jamdiu animo tibi addictissimo calcaria urgentissime admovebat, ut non solum universo terrarum orbi liquido, ac candido patefacerem, verùm etiam ad æterni temporis memoriam possem propagare quantum honoris, quantum decoris, quantum denique splendoris, & gloriæ toti huic Indiano Occidentali tractui sempiternæ majestatis magnificentissima libertas concesserit, dum tantum Principem, dum tam admirabilem virum tot virtutum ornamentis decoratum pro filio in ortu ac natalitiis, pro parente in regimine, ac gubernatione, pro Domino, ac Rectore animarum, eximiôque Pastore concedere non sit dedignata; cujus nativitate magis laudis, & encomij, quam tot divitiarum, tot argenti, tot auri, tot gemmarum abundantia, quæ totum orbem admiratione complevit, mirabiliter comparavit, in quo uno inter alios D. Ambrosij Mediolanensium Præfulis ad vivum non dicam lineamentis, verum etiam pulcherrimis ad miraculum coloribus venustissima virtutum omnium imago repræsentata colucet.

Fuit sanctissimus æquè, ac sapientissimus Doctor Ecclesiæ Ambrosius in primis nobilissimis parentibus ortus, ut inter tot animi dotes, ac virtutes fulgor, ac prosapiæ splendida claritas radiaret. Venio ad honestatem tui generis, quod tibi obtigit ex Ugartorum gente nobilissima, & celeberrima totius Cantabriæ (ut in omnibus mirabiliter Ambrosium repræsentares) ex qua, mare transmittens in novæ Granatæ Regno confedit, & hac foelicitate usâ est in paucis familia tua, ut majorum claritate, quam ex patrio solo elicit, eandem retinuerit in alieno: & usque adeò retinuit, ut quæ olim totam Hispaniam, venteremque orbem universum rebus præclare gestis opplevit; in novum postea orbem transmigrans ipsum, quantus quantus esset, magnarum itidem aggressione rerum collustraverit. Nec fide, seu ad speciem à me ista dicuntur, servasse siquidem familiam tuam in peregrino, & extero loco generis claritudinem in Hispano, & patrio solo haustam. Quoniam luculentam satis fidem dictis meis fecero, si te unum proferre voluero, qui sanguinis, & stirpis tuæ nobilitatem non retinuisti modò, sed novis, iisdemque maximis incrementis auxisti, imo te solum dissimilem avis tuis in dies reddere cogitasti, cum in te conjunctæ prædicentur virtutes, quæ in illis etiam divisæ stuporem generarunt; non quod tecum traheres imaginum fumosarum seriem; nam quid ais prodest

Longo

EPISTOLA.

— Longo

*Sanguine censer, pictosque ostendere vultus
Majorum? aut quid habebis.*

Dives avis, & utroque Iovem de sanguine ducens?

Animus facit nobilem. Planè ita est; nam si ad Adamum revocas, perdu-
xit omnes in hanc diem ex splendidis, sordidisque alternata series: ergo ut pri-
mum infantiae noctem dispulisti, & rationis affulsit stella matutina, coepisti
egregia indole in spem attollere cognatos, ut jam tunc portenderent, qualis
pro labentibus annis futurus esses, quam gigas, cujus in puero tam mascula
virtus. Amplissimas tibi vires ad has virtutes, tum natura, quæ te ad præcla-
ra facinora quam aptissimum instruxit: Tum paterna disciplina, quæ nullis te
emoluit deliciis, sed virtuosis semper exercitamentis roboravit; nam ut olim Theo-
dosius Imperator suo filio Honorio, ita & nunc parens tuus prudentissimus.

Non tibi delicias molles, nec marcida luxu

Otia, nec somnos genitor permisit inertes;

Sed nova per duos instruxit membra labores,

Et cruda teneras exercuit indole vires.

Ita animosus Poëta Claudianus. In te enim aurea illa Erodij sapientissimi
verba de vita Antonij mirabiliter sedem collocarunt, qui quamvis de splendore
natalium conscientiae jubar hauséris, tamen fulgorem stirpis præcipue morum
radiis obumbrasti, vincens decorem sanguinis, ingenij claritate, dum corus-
cantem germinis tui lampadem actuum serenitate transcendis, & factus es
stemmatis victor tui per quod plerosque mortalium nascendi foelicitate supe-
rasti, sic ille; itaque nobilitas tua præterquam quod est ex se spectabilis, hone-
stiorem ipsi reddidisti vita sanctissime peracta, atque traducta per omnia Rei-
publicæ munera gravissima. En qui hic aperit se mihi campus ad laudes tuas
scientiarum peritia auctoritate publicis ex officiis, comparata vitæ probitate,
ac sanctitate, cui omnium concors fama, judiciumque subscribit; relictis quæ
hactenus de familiæ tuæ splendore, ac nobilitate generis encomiis in lucem pu-
blicam propalavimus, quia ad laudes tuas præclariores habeo fontes, quam
quos mihi tuus exhibet sanguis, & genus.

Nec ipse conquiesci in hæreditaria generis claritudine, huic sapientissimè lit-
terarum gloriam, ac nomen addidisti, ut melius, ac rectius sapientissimi Do-
ctoris Ecclesiæ Ambrosij vestigiis insisteres, quem in omnibus serio imitandum,
utpotè divinum, & gloriosissimum exemplar proposuisti. Sed qualis & quan-
ta tibi laus accedit ex litterario pulvere, tanta profectò, quantam nec longa
quidem oratione amplecti valeo. Ex florentissimis, & Primariis Hispaniæ Aca-
demiis sapientiæ succos hausisti: Salmantinos, Hispalenses, Læridanos Docto-
res habuisti, à quibus cum ad omnem Jurisprudentiæ facultatem informatus
esses, & quod magna fecisses incrementa doctrinæ publica testificatione Docto-
ris insignibus Læridæ omnium consensu fuisti cohonestatus. Nec hi duntaxat
quos commemoravi studiorum tuorum extitere fructus, quorum proventus tibi
potius ad laudem, quam in aliorum commodum cesserunt. Quapropter alios
ex sapientiæ tuæ sacrario depromere voluisti, quos in publicam utilitatem de-
rivares. Ma driti Hispanorum Regum Aula potentissima causarum advocatio-
nem habuisti, quæ res fuit tibi occasio, ut lites expedires implicatissimas, & dif-
cordes, tum civium, tum externorum animos ad pacem, concordiamque mira
dexteri

EPISTOLA.

dexteritate revocares; & pulchrum tibi fuit dissidentium animos componere, qui in litibus tractandis non quæstum ad avaritiam, sed justitiam, & æquitatem ad virtutem adamabas; & ista tua æqui, ac recti voluntas continens, ac perseverans, quæ in totius Hispaniæ Principe urbe in aula Potentissimi Regis in totius Regni conventu celeberrimo cunctis patebat, jam verò antiquitatis historias quanto studio contendebas,

Nocturna versare manu versare diurna.

Unde Populorum mores, nationum ritus, Provinciarum leges, Regnorum instituta, ac denique omnia singularum gentium solennia foelicius didicisti, historias perlegendo, quam Ulysses teste Homero

Homerus.

Qui mores multorum vidit, & urbes.

Totum orbem pererrando. Nam Ulyssi diu peregrinanti, ut inquit Ovidius,

Seris venit usus ab annis.

Tibi libros consulenti, ut alibi Juvenalis.

Rerum prudentia major ante pilos venit.

Qui in juvenili ætate ad senilem prudentiam evasisti. Nec immerito, nam sicut historiæ ignarus, quantumvis senescat, puer est, *nescire enim* (inquit Tullius) *quid antequam natus fueris actum sit, est semper esse puerum.* Ita historiæ peritus quantumvis ætate juvenis, senili consilio maturefcit. Quare quod in Lucullo celebravit antiquitas, qui militandi peritiam, non tam pugnas exercendo, quam historias volutando adeptus est; id tibi non mediocri laudi tribueretur, qui militarem scientiam, si non hostes debellando, certè libros evolvendo comparasti. His igitur omnium litterarum & sapientiæ studiis ita te numeris omnibus absolutum reddidisti. Quo

Nil exactius, eruditiusque est,

sed nec candidius, benigniusque.

Si te pectore, si tenebit ore,

Nec rhoncos metues maligniorum,

Nec Scombris tunicas dabis molestas.

Nil tibi plebeium; nusquam Temesca notabis,

Æra: sed argenti foelix propellitur unda,

Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat,

Delicias mirata suas.

Ut cujusque ordinis homines infimi, ac summi cives externique, laudes tuas deprædicantes permoverint, rectius dixerim, coegerint sapientissimum Philippum II. Salomonis Hispanici nomine insignitum Regem sapientissimum, ut cum ad Aragoniæ tumultus sedandos, componendosque validissimum exercitum imperasset, te unum eligeret, ut in ejus copiis Judicis, auditoris, officio fungereris. Prospiciebat enim Rex ad omnem prudentiam factus, idque sibi erat exploratum, & cognitum tantam esse animi tui æquitatem, tanto te studio ferri in omne quod leges & justitia præcipiunt, ut ab æquo, ac recto neque militum minis, nec armis unquam avertereris. Illud quoque ingenti virtutis tuæ gloria prædicabitur, te totius Aragonici Regni gravissima innumeris difficultatum laqueis irretita negotia egregio severitatis, & comitatis, gratiæque, ac justitiæ temperamento sic moderate, sic prudenter, sic sapienter administrasse, ut (quod mirandum maxime, quod ingentibus laudum encomiis ad cælum usque evehendum) post tot sanguinis effusiones, post tot severæ justitiæ

EPISTOLA.

justitiæ vindictas, pacatis jam in pacisque malacia constitutis omnibus ingentis amoris, ac benevolentiae signis, & indiciiis, tum à parvis, tum à maximis afficeris, qui licet

*Periculosa plenum opus alea
Tractes, & incedas per ignes
Suppositos cineri doloso.*

Inter æmulas novorum mira felicitate Regnorum contentiones, tam firmis tamen prudentiæ propugnaculis, tam certis ad quemcunque in inimicam discipulam speculis tuæ sapientiæ iter communisti, prudentiæque viam firmissimè pervallasti, ut nec inimicissimis invidiæ livore plenis dentibus, etiam rupis assuetis locum reliqueris

———— *Cuncta terrarum subacta
———— ductaque per vias,
———— Ducum colla minacium.*

Quæ omnia tam feliciter, tam gloriøsè tibi ad numerum cecidere, evenereque ut incertum sit, plusne attulerit gaudij prudentissimo Philippo magnam in te ad id muneris deligendo judicij, & prudentiæ laudem consequuto; an tibi gloriæ, qui Provinciam totam, integrumque Aragoniæ Regnum, jamjam tristi, ac luctuoso fato, fortunæque inimica laborantem, atque ruentem prudentissimè tenuisti. Quo factum est, ut acerrimis explorandis, æstimandisque præclaris hominum artibus, & virtutibus Philippus ipse II. egregiam animi tui virtutem postmodum publicis rebus gerendis duplicatis muneribus applicuerit.

Verfarer perlibenter in commemoratione fructuum, quos cum publicæ utilitati, tum privatæ tuæ studia pepererunt, sed abstrahor ab hoc argumento, quandoquidem vocat me ad longe præstantiorem laudem, & commendationem vita tua honestissimè, ac laudatissimè acta per omnia Reipublicæ munera quam multa fuerint negotia, quæ ad communem utilitatem susceperis, non est hujus loci velle persequi omnia; nec si vellem, possem intra brevis epistolæ cancellos coercere res, quæ si pro dignitate tractandæ sunt, longam expetunt orationem; illud tamen in primis asserere me posse video de publicis oneribus à te gestis, te unum esse, qui plures Reipublicæ Magistratus obiisti; quam aliis, vel audit, vel legit; quod adeò verum est, ut si cum omnibus, qui nunc vivunt Philippi I V. Senatoribus, Ministris, ac Ecclesiæ Principibus antiquitate, ac negotiorum agendorum experientia compareris, omnes fere sine ulla tergiversatione diuturnitate gubernandi longo intervallo superes, ac excedas.

Prima publicorum initia muniorem fuit tibi in Hispania Coronilensis Prætura, & si non proxime, successit tamen in hoc Peruvio Potij Præfectura, quam summa integritate, nec minori studio, omniumque approbatione explevisti; ut qui in multis præclare gestis S. Ambrosium imitatus fueris, nec minus ipsius Mediolanensis urbis Præfecti munere fungentis vestigia premeres mirabiliter; quod tanta diligentia, sollicitudine, tanta prudentia, ac providentia fecisti, illiusque Reipublicæ, ac præcipuè argenti fodinarum Porosini montis negotia administrasti, ut ditissima Regis vectigalia, totiusque Regni Peruviani divitiæ nunquam ad illud usque tempus, tot incrementa cum omnium hominum communi acclamatione, plausu, & admiratione viderint in commune totius Hispanici Imperij longè latèque toto orbe diffusi, & quod caput est, fidei Catholicæ propagationis emolumentum, ac commodum redundantia.

é Auspicato.

EPISTOLA.

Auspicato igitur imperialis populi magistratu qualem te ditissimæ villæ præbueris gubernatorem recens hodie memoria tui ostendit, incolentium tunc celebravit admiratio. In ætate enim non deflexa sic cunctas temperasse animi affectiones, ut nulli cupiditati licentiæ fræna permissa, omnia ad divinæ voluntatis studium, populique utilitatem relata fuerint, ingentem laudem peperit summam admirationem, & D. Augustino, *lib. 5. de civit. Dei, cap. 24.* Auctore, Præfectum, gubernatoremque te undequaque foelicem, ac beatum reddidisti. Sic enim ipse censebat foelices tunc demum Christianos gubernatores esse, eo-que nomine præ Romanis illis Imperatoribus, qui illud ambitione usurpabant dignissimo: *Si se homines esse meminerint, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestatis ejus famulam faciunt, si Deum timent, diligunt, colunt, si luxuria tanto eis castigatior, quanto posset esse liberior.* Sic Augustinus. Enim vero noxios affectus, atque animi perturbationes sic ratione depuleras, & ad primam & optimam affectionem animi perveneras, ut posses admirantibus Potosinis cum Mario illo adhuc moderato, adhuc priscae Romæ homine respondere teste Sallustio in bello Jugurthino. *Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem se se probos simulare, mihi qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benefacere jam ex consuetudine in naturam verti.* O immortalem moderatoris gloriam his moribus Imperij fræna capeffere, qui naturæ vices habeant, ut jam non consuetudine, quæ quondam ingens laus erat, sed ipsa natura, bene agendi facilitas stabiliretur. Sed quid mirum cum Præsul noster vix ephebam ætatem nactus, & jam suis simillimus, & pax cuicunque fortunæ operiebatur ætatem, ut Aquilarum pullus, qui jam acutam habet oculorum aciem, sed adhuc pennas expectat, & ut Rempublicam capefferet, tardas ætatis inducias in præclaro virtutum exercitio instructissimus animus deluderet, ut dixeris optimo merito, quod de suo Principe Cassiodorus, *lib. 11. variarum.* *Mirabili temperamento concordia antequam possit populos regere, suis jam cepit moribus imperare, hoc est profecto difficillimum regnandi genus, exercere juvenem in suis sensibus principatum rarum omnino bonum est Dominum triumphare de moribus, & hoc consequi in florida ætate, ad quod vix credit cana modestia pervenire.* Quid inquam mirum quod ita se exerceat in prælio, quod suæ virtutis tot argumenta in bello protendat robustus Dux, qui juvenis in hastiludio sui roboris, animique celsitudinis indicia præclara demonstrabat. Quibus bene regendi artibus ita ad majora iter communisti, ut regij Senatoris officium non in uno loco substinuisti, Senatorem te regium habuit Audientia Panamensis, deinde Platenfis, tandem Limana, quæ est totius regni nobilissima. Quid plura, parum fuit te Limani Senatus onera substinuisse, si iis alia non minora addidisset Prorex prudentissimus ad maxima natus Dominus Don Joannes de Mendoza Montis Clari Marchio, qui te uno Assessoris usus est generali ad gravissima totius Regni Peruviani negotia prudenter, ac sapienter gubernanda, & tecum partiri voluit Regni curas, ille acerrimi judicij vir, quod te parem fenserat Regni oneribus, & ferendis, & pervincendis: quapropter ut hæc tui regiminis laus & commendatio in publicum proferretur, sæpè sæpius in ore sapientum Martialis carmen illud verlabatur:

Divisum Imperium cum Iove Casar habet.

Quæ huc usque attigi publica tuæ vitæ munera sæculi fuerunt munia, & intra temporalem, & perituram hominum utilitatem continuerunt sese. Alia supersunt, quæ ideo sunt excellentiora, quia sacratiora, quæque ipse non tam ad corporum,

EPISTOLA.

corporum, quam ad animorum commoda, felicitatemque destinasti; nam cum abjectis prioribus curis, & ex profana, & populari vita in ordinem eorum hominum te redegissem, qui Deo in sacris famulantur, divino sane consilio in sacrosancti, regalisque Sacerdotij maiestatem admissus es. Quo factum est, ut cum Hispaniæ Reges noluissem, te diu persistere in ea privati Sacerdotis, simulque Senatoris vivendi ratione, quam elegeras ad majus Reipublicæ Christianæ regimen, moderationemque evocarunt, & quem civilium, & terrenarum rerum procuratorem fidissimum, Judicem & propugnatorem integerrimum habuerunt, postmodum vindicem rerum divinarum habere voluerunt.

Narrant historiæ Ecclesiasticæ, D. Paulino teste in vita Ambrosij, sanctum hunc Doctorem, adhuc civitatem Mediolanensem moderantem Episcopum ejusdem civitatis communi incolarum consensu renunciatum, ipsiusque electionem Valentinianum Imperatorem confirmantem in hæc verba prorupisse. *Gratia tibi sit Domine omnipotens, & salvator noster, quod cum ipse corpora huic viro commissem, tu es etiam animas commendasti, indeque declarasti meam justam fuisse sententiam.* Hæc in lucem edo, in publicumque libens profero, ut quanta sit analogia, similitudoque Ferdinandi nostri ad D. Ambrosium omnibus liquido, ac manifeste pateat; ille enim ex Præfecto Mediolani in Episcopum eligitur à Mediolanensi populo, & postmodum à Valentiniano Imperatore confirmatur; Ferdinandus verò noster ex Senatore Regio in suprema totius Peruviani Regni Cancellaria supremo veluti Præsidis munere fungens, non à privato populo, sed à Philippo Rege, omnium qui vivunt potentissimo in Præsulem electus, non ab Imperatore, sed à Pontifice maximo, ab Ecclesiæ militantis capite, in totoque orbe Christi Domini Vicario; ad cujus pedes potentissimi Imperatores, ac Reges adoraturi procumbunt, confirmatur. Hinc à Romana sede Regibus adnitentibus, Panamenfis Episcopus renunciariis, quem Episcopatum ne adires illa fuit ratio, quod longe inferior visus fuerit tuis meritis, quapropter vix te Panamæ urbis Antistitem audieras, cum illicò in Præsulem Quitensem eligeris; electus igitur Quitenfis Antistes in hujus sacratissimi muneris instar cujusdam fulgentissimi solis miros splendoris radios sparsisti; qui à te non propria voluntate, ac desiderio, sed divino, & æterno Consilio in Ecclesiæ aureo Episcopatus candelabro, & ut melius loquar firmamento collocatum oculis usurpasti. *O novum atque inauditum ad Principatum iter* (inquit Plinius in Panegyrico Trajani) *non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena utilitas, alienus timor Principem fecit, assumptus es in laborum, curarumque exercitium, nec lata, & prospera stationis istius, sed aspera, & dura ad capeffendam eam compulerunt.* Quem Quitenfis Episcopatus incolæ jam diu desiderabant prospicere venerantur præsentem (ut dicitur epist. 1. Pauli ad Timot. cap. 3.) *sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, non vinolentum, non litigiosum, non cupidum, sua domui bene præpositum.* (His omnibus permoti, atque exciti cives, ut appropinquare senserunt, ut Plinij verbis utar, ubi supra. *Effusi extra domos in vias profiliere studio videndi Rectorem suum, non ætas quemquam, non valetudo retardavit, quominus oculos insolito spectaculo impleat, & te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, ægri quoque neglecto medentium imperio ad conspectum tui, quasi ad salutem, sanitatemque prorepere.* Satis fecisti votis, desideria cumulasti, tu viduarum spes, inquit

EPISTOLA.

Gregorius Nazianzenus de suo Basilio, tu depressorum solamen, tu legum vindex, tu Sacerdotum regula, tu disciplinæ restaurator.

Sed quod magis mirabatur Quitensis civitas domum tuam intueri inter pompæ, & principatus undas, coenobium magis præ se ferre, quam Principis Aulam, familiam universam ad totius honestatis leges compositam integritatem illam morum talem in tanta dignitate modestiam, Religionis Telum, pietatem, candorem, & virtutum ornamenta, non tam fuerunt tibi acquisita propria industria, quam divinitus infusa religioso animo, reverenter suscipienda, studiosèque retinenda.

Hac foelicitate fruebatur Quitensis urbs tuo prudentissimo paterno, ac sapientissimo moderata Imperio; cum à Philippo Rege à Pontifice maximo vocaris in patriam in Archiepiscopatus nimirum novi Regni Granatensis regimen, ut sanctitatis, prudentiæ, & sapientiæ tuæ radiis illustretur solum, quo primo coelum, primamque lucem, dum nasceris adspexisti, & dum sanctæ fidei urbe Phosphorus oriris, Quiti oritur vespèrus, (utar verbis Tertulliani de resurrectione carnis, cap. 12.) *Dies moritur in noctem Quiti, & tenebris usquequaque sepelitur, funestatur honor, omnis substantia demigratur, sordent, silent, stupent cuncta ubique iustitiam, quies rerum, ita lux amissa lugetur (in Quitensi civitate) sed o mira ratio defraudatrice servatrix, ut reddat, intercipit (Quiti dum occidit, oritur novæ Granatæ) cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem, & integra, & tota lux universo orbi reviviscit interficiens mortem suam noctem (Quitensem) heres sibi met existens reaccenduntur & stellarum radij, quos succensio extinxerat, reducuntur, & syderum absentia, & Granatensem civitatem crederes esse Quitensem. Illa in hujus cineribus, atque pyra veluti Fenix renascitur.*

*Ubi quæ gesseris omnia, si vellem prædicare
Promptius imponam glaciali Pelion Ossæ;
Si partem tacuisse velim, quodcunque relinquam,
Majus erit.*

Quiti postquam diem dedisti fulgentissimum in patriam redux sanctæ fidei repetis solum, Princeps accedis, qui civis recesseras parens, ac pastor regrederis, qui filius, & cliens remigraveras solis æmulus recidivus, siquidem uberiora, & cultiora restituis, quam exterminata reperisti. Vernat novum Regnum Granatense lumine Ugartino propinquo, claritate filij, splendore parentis illustrante, ridet autumnus dum vineta Granatensia vaccis piri quibus Ferdinandi nostri inaurantur: ô Philippo Monarchæ gratias agite immortales sanctæ Fidei incolæ, ô vos magis agite Indorum inculta natio, Hildebertus Senomanensis Episcopus epistola 3. Vestram foelicitatem præconiorum laudibus prædicet. *Sanè sana Regis dispositio, quæ novæ Granatensi Ecclesiæ nihil melius potuit providere, quam te, cujus & scientia subjecti proficiunt, & patrocinio virtus exultat sub te cultore sterilis ficus effloreat, & in gratiam cum suo redibit Domino, cujus minas, & securim formidabat; erit itaque studij tui circa commissam tibi arborem fodere, ipsius radices argenteo flumine irrigare; talis planta facile resylvescit, & si colere desinas, ejus virentia folia brevi tempore putrescunt; quotidie stat Aquilo, non floribus tantum, sed & fructui suspectus, & foliis rogandus est Auster, ut veniat, & perscet hortum suum, & efficiatur odor ejus; sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Latetur ab alto prospiciens diem hunc hierarchatus tui Isaias, videntque novæ Granatensis Ecclesiæ nitelam,*

EPISTOLA.

nitelam, gaudeat adimpletas vaticinationes suas. *Aperiant in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes ponant desertum in stagna aquarum, & terram inviam, rivus aquarum dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrthum, lignum olivæ ponam in deserto abietem, ulmum, & buxum simul ut videant, & sciant, & recogitent, & intelligant, quia manus Domini fecit hoc.*

Nec sanctæ Fidei Ecclesiam diu rexeras cum Platenſi Archiepiſcopatu ſuſceperis; ubi ut alia multa memoratu digna ſilentij tenebris involvam, brevitate ergo, quæ indefeſſus tuus animus mirabiliter perpetravit, vocatis omnibus ſuffraganeis Episcopis Concilium congregaſti Provinciale, in quo quam plura, eaque maxima decreta ſunt, quæ ad reformationem morum, imo & ad propagationem, & incrementum noſtræ fidei inter incultas Indorum nationes mirum in modum conducere videbantur divino Numinis afflatu ſtabilita fuere. Quibus Provinciam ad luxum, & delicias lubricam veluti è cœlo deſapſis legibus, & inſtitutis, ſimulque celebri continentiæ, atque integritatis forma tenuiſti; quæ omnia ut ampliſſima tibi materies fuere graviffimorum laborum, & moleſtiſſimarum curarum, ita ſummæ laudis, atque immortalis gloriæ in ſempiternum ſeges extitit uberrima. Profudiſti quidem in ſublevandis pauperum, & egenorum miſeriis, non ſolum redditus Eccleſiaſticos Archiepiſcopalis menſæ, verum etiam patrimonium tuum propemodum evertiſti; rerum major proſpecto ea res fuit, quam ut copioſa, & diſerta oratione ſatis prædicari, ne dum in præſentia ſtrictim, & raptim pro merito laudibus, & præconiis queat exornari. Tandem à Platenſi in Limana ſede Peruvij totius celeberrima & nobiliſſima collocariſ.

Quid mihi ſignificet hæc diuturna, tot, ac tantarum Eccleſiarum præclara adminiſtratio, obſcurum non eſt; eſſe ſiquidem tanta, tamque magna merita tua, ut qui velit eorum partem aliquam rependere, videat ſe id alia ratione præſtare non poſſe, niſi veterem gratiam novis aliis, atque aliis, iſſique majoribus cumulet. Verum ſi rem altius inſpicio, hæc tot præſtantium Eccleſiarum ſucceſſio, & ille tuus de uno in alium Episcopatum tranſitus, minus tribuendus eſt, quod Romani Pontifices Hiſpanique Reges frequenti illa in alias Eccleſias, eaſque nobiliores nova propagatione merita tua compenſanda ſibi eſſe judicaverint, Dei numen, atque conſilium fuit, qui illud intendebat in tanta ſibi ſuccedentium Episcopatuum mutatione, ut nulla ſcilicet in omni Peruvio ſupereſſet Eccleſia, quæ per te tua mirifica animi vigilantia, ac cura, reliquarumque virtutum exemplis per aliquot annos non reficeretur! Hæc quæ de tuis virtutibus proxime facta eſt mentio admonet me, ut aggrediar ultimam epiſtolæ partem in quam vitæ tuæ probitatem, ſanctitatemque rejeci. De his ſi univerſa proferre volo, longus ero ad omnia, ſi nihil eloquar & cuncta ſilentio involvam in grati animi notam non effugio: ergo quando me res ipſa cogit, eſt quiddam tertium, quod agam; illas tantum virtutes prælibabo, quas animi tui modestia minus erubere debeat, quaſque in omnium oculis exſequi cogeris, ut tui muneris partes expleas in ejuſmodi, quo nunc verſor argumento, offert ſemih in primis ſingularis illa tua laborum tolerantia: quos pro utilitate Eccleſiarum, quæ tuæ fuerunt, quas moderatus es Eccleſias, & longè diſſitæ, & per immenta terrarum ſpatia protenſæ, non potuerunt labores, quin fuerint & multitudine plurimi, & magnitudine graviffimi; ille noverit incommoda quæ tibi ſubeunda fuerunt in longinquis peregrinationibus, quas ut tuarum ovium

EPISTOLA.

stationes invisères suscepisti, qui vel tantis per hujus novi orbis plagas, regionisque lustraverit. Sunt Peruviorum montium juga perquam asperrima, camporum planities sub pluvio coelo, palustres, & cenulentæ, nemora feris ipsis impervia arenarum æquora, ut frequentissima, sic æstuosissima, & quocunque humano auxilio destituta, amnes, quia Pontibus carent, & concitatissimi fluunt, & ingentibus aquis abundant, trajectiones habent, periculosissimas, è montium jugis altissimis in præruptis rupium foveas potius deturbamur, quam descendimus. Hic infestissima sunt pluviae, intractabilia frigora, molestissimi calores, quæ duæ res alternæ sæpè sunt, & postquam frigidissimas plagas, & terras solis ardoribus immodicis exustas intrare cogitur.

Tot hæc, tamque magna vitæ incommoda non semel ipse aggressus es, & adhuc in ultima senectute, & in malè affecta valetudine aggredieris, ut oves errantes ad caulas summi Pastoris adducas, adductas foveas, & conserves. Ecclesiarum sollicitudo eadem in te est, ac in Apostolo Paulo, quem scimus nullis unquam corporis dispendiis, nullis vitæ periculis ab muneris cura fuisse depulsum; sed nec te ab optimi præfulis munere deterruerunt illæ, quas Paulo ante commemoravi molestiarum, ac laborum injuriæ, non aspera montium, non concava vallium, non cenulenta itinera, non arenarum cætus, non profunda fluminum, non rupium prærupta, non pluviae, non frigora, non soles, non sitis, non fames; quam dum Granatensem Ecclesiam peragrades, perlustrares, & invisères, subito insuperabilis amnis aucto interceptus per integros viginti dies sylvestribus arborum radicibus, herbisque tibi, tuisque omnino ignotis cohibuisti, in tuique solamen, tuorumque solatium verba Apostoli ad Philipenses cap. 3. passim pronunciabas. *Ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare (ubique, & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati omnia possum in eo, qui me confortat.* Possentne alteri mortalium verius, quam tibi hæc omnia Pauli sensa aptari? aut ad alium, præter te eorum explanatio non ineptissime ire? qui Pauli vestigia sic premis, ut Paulum exprimas fidus ipsius imitator, sive interpret? Quid agis fortuna? vidēsne per omnia aspera jactatum invictum fame, & siti per medias Occidentis solitudines, per arentes colles, per tot flumina ex ignoto cadentia superata temporum, locorumque difficultate agentem corpus? at vis major agebat intus amor Jesu sui, oviumque sibi commissarum salus.

Quam oppositè ergo vel sola inscriptione ista, *quæ mihi fuerunt lucra hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta*: ornavero nobilissimum illum triumphum quæ de Dæmonibus tenebrarum harum rectoribus subactis de vitiis superatis, atque devictis, de idololatria profligata; de peccatorum criminibus funditus labefactatis nuper retulisti; cum post ingentia laudum semina per omnes vitæ partes intersparsa post vitam libentissime amore Christi flagrantissimo periculis innumeris oblatam liberaliter, ac tandem post fortunam sæpè adversam sæpius insidiantem constantissime superatam gloriosissima trophæa comparaveris.

Triumphasti igitur Princeps illustrissime non Regia pompa satietateque ipsa cupiditatem irritante, sed in angustissima paupertate tibi inter divitias occultissima, in abundantissima fame, in nectarea siti edoctus in quibus es sufficiens esse; non aureis coronis oleagine virentibus, sed suaveolentibus misericordiæ fertis, configuratus morti Christi, qui in Cruce sui sanguinis divitias profudit.

EPISTOLA.

dit. Non ardenti purpura, nisi quam charitas flammaverit cum insignibus non Imperij terreni, sed Christi imitationis inquam, sed super omnia Imperia gloriosissimæ, non delicato Liberi curru usque ad Thebas à solis ortu vectus, & Deus undique consalutatus, sed quæ retro sunt obliviscens ad anteriora extendens teipsum ad destinatum persequens ad bravium supernæ vocationis in Christo; sed foeliciori calamo sic descripserit Ambrosius hunc triumphum, lib. 10. in cap. 23. Lucæ: *Nos autem quoniam trophaum jam videmus, & quod currum suum triumphator ascendit, consideremus, quod non arborum truncis, non quadrijugis claustri manubias de mortali hoste quasitas; sed patibulo triumphali captiva de sæculo spolia suspendit. Non hic gentes brachiis post terga revinctis, nec excisarum urbium imagines, oppidorumque captorum simulacra cernimus, aut submissa captivorum Regum colla miramur, qualis humanorum solet esse species triumphorum, nec victoria terminos Regionis sine distinctos, sed fidei arma, victoriarumque jura toto orbe currentia captivum Principem Mundi, & spiritualia nequitia, variarumque virtutum species non sericis, sed moribus emicantes: fulget castitas, fides splendet, fortitudo viget, floret charitas, zelus carulescit, & induta mortis exuviiis devotio fortitudinis jam refurgit. Hoc ordine, hac pompa, hoc triumpho processisti Ferdinande Deo chare, non modò Senatui, populoque Romano conspicuus, sed spectaculum factus Deo, & Angelis, & hominibus. Eat nunc Romanæ gloria Majestatis, ostendetque suos ab urbe condita triumphos usque ad Vespasianum viginti supra trecentos.*

Quis non videat, illos ab hoc nostro distare quanto discrimine vitia fordent à virtutibus? quidquid illic triumphabat, hic triumphatur ambitio, ibi superbia, crudelitas, avaritia pinguissimo illo lascivientis fortunæ pastu gliscebant virtutibus languida cervice juxta currum marcentibus, hic vice versa cupiditatibus patrimonio suo destitutis & servitio addictis virtutes dominantur. Quid enim referam vectatores equos, leones, elephantos, tigres, cervos, quaternos canes triumphatoribus suis simillima monstra cum aliquos prætereæ vinctos, etiam Reges currui admoveri, ut magnificentius quadrigæ rotentur. *Iustitia, prudentia, fortitudo, temperantia cælestibus triumphis assueti jugales, quibus animum, vitam, munera, omnesque terræ, ac maris oras jam impleveras, currum tuum subiere, ut illis erectus Eliæ instar igneo curru iisdem quoque jugalibus triumphantis in alma Ecclesia Archiepiscopalis Calum, in amenissimum inquam sanctæ Fidei templi paradysum vehereris; hoc demum est triumphare, hac itur ad sydera, ubi te victrices corona manent, magnorumque præmia meritum; nec enim humanas laureas curas immortalibus adoreis in cælo donandus, illis decernantur statua, quibus mortalia facta non nisi mortalia quoque præmia peperisse poterant, tu major hic desiderio abscondi? At omnino frustra, ô magne Princeps, non est abdere famam tuam, eo pulchrior erumpet omnibus ex lateribus, nullas illa tenebras timet.*

Bonum virum fama aperit, vel in terræ cavis cum animadverto te tot periculis vitam habuisse expositam, ut ovium damnis occurreres, non ægrè mihi persuadeo id, quod de te per omnium ora volitat, & circumfertur; pecuniarum scilicet jacturam recusare te nullam, ut ovium salutem consulas. Quam credibile est non parsum pecuniis Præfulem illum, qui nec ipse sibi parcat, quique vitam, ac salutem ad subditorum incolumitatem periculis exponit

ex

EPISTOLA.

ex illis, qui tibi sunt à rationibus accepimus, proventus, qui tibi collecti sunt ad hunc usque diem ex Ecclesiis, quibus præfuiſti, perveniſſe ad nummum sexcenta millia, sed tota hæc reddituum summa, & honestissime, & sanctissime probatur expensa, excitata Tempa, instituta Sacella ad Missarum sacrificium, exædificatæ virginibus Deo dicatis ædes commodissimæ, dotatæ puellæ, quibus pudicitie naufragium imminabat, quæ superfuerunt ea omnia in quotidiana inopum subsidia impensa sunt & distributa liberalissime.

Quæ cum ita sint, quis erit adeo hebes, & stipes, qui te non miris laudibus, & encomiis utpote vivam mirabilemque Divi Ambrosij imaginem, & iconem non prædicet, non miretur, nunquam enim non ob oculos habes vivam S. Ambrosij effigiem, ideam inquam perfecti omnibusque numeris absoluti Pontificis, quam sanctus Bernardus Eugenio Pontifici, ita præscribit, & ad vivum depingit. *Considera oportere te esse formam justitiæ; sanctimonie speculum; pietatis exemplar; assertorem veritatis; fidei defensorem, Doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi; sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem pleberum; magistrum insipientium; refugium oppressorum; pauperum advocatum; miserorum spem; tutorem pupillorum, judicem viduarum; oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum; malorum metum; bonorum gloriam; virgam potentium; malleum Tyrannorum; Regum Patrem; legum moderatorem, Canonum dispensatorem; sal terra, urbis lumen, sacerdotem altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis.* Quapropter sub tali Antistite Limensis Ecclesiæ hoc tempore, & doctrina, & disciplina, & morum integritate, ac pietate ita composita instructaque est, ut non tantum Peruanis, sed & totius Europæ Ecclesiis, quasi forma, & exemplar proponi possit, tam quanta te Duce, & Chorago Limensi in choro est Psalmodiæ, & officij divini decor, ordo, reverentia, quis Ecclesiæ; quis rituum, ornatus, & dignitas? quanta sacrorum omnium religio? & majestas, verbo dicam, Ambrosiana est, qui eam intuentur; mirantur, & stupent, sibi que videntur spectare sacram castrorum aciem ordinatam, imò vivam imaginem cœlestis Hierarchiæ, æquæ ac harmoniæ non ablandior non raro secreta, sed publica quæ res ipsa palam loquitur.

Ambrosium itaque nobis exhibes Hierarcha Illustrissime studio, & doctrina; Ambrosium sapientia & prudentia; Ambrosium comitate, integritate, gravitate; Ambrosium libertate constantia; Ambrosium vigilantia fortitudine, & zelo; quapropter verè tibi possum affirmare non me tantopere suspicere tuæ ut vulgus loquitur fortunæ amplitudinem, seu tuorum honorum titulos, quam eximia animi tui bona, quæ tibi divinitus concessa, & Deo inprimis earum, & cunctis mortalibus circa invidiam, & supra modum amabilem reddunt, ideoque pietatem tuam magnifacio, beneficentiam admiror, charitatem suspicio.

Huc accedit quod religionem atque ordinem nostrum tam benigne humaniterque complecteris ejusque parentem atque authorem Ignatium tam pio studio colis, ut tua præclara in nos omnes officia, cum omnium Præsulum in nos collatis beneficiis munificentia, & liberalitate certare videantur; unde quod nulli unquam religioni, aut ordini sive monachali, sive mendicanti concessisti, id quidem Societatis Jesu curæ, vigilantie & sollicitudini credidisti,

ut

EPISTOLA.

ut Ecclesiarum nimirum curam animarum habentium, tum in novo Grana-
tensi Archiepiscopatu, tum in hoc Limano Præfatu clavum regiminis ob-
tineret, propter quod immensas, ac immortales gratias tota nostra societas,
tanquam oculatissimo parenti, liberalissimo Mœcenati, Patrono amantissimo,
Principique munificentissimo indefinenter agere non desistit.

Pauca hæc ad declarandam vitæ tuæ integritatem prælibasse sufficiat; ex
iis enim, quæ allata sunt, satis perspicuum videbitur, factumque est, quod
initio dicebam, te unum esse, cui scriptores tuto possent, ac deberent com-
mittere lucubrationes suas, in quo summa sunt omnia quæ Mœcenatem per-
fectissimum reddunt, quæ patronum faciunt absolutissimum; tu ergo tenue
hoc opus, quod tibi ad observantiam in te meam significandam obtuli, &
inscripti, libenter amplecti non dedignaveris, luce nobilitatis ejusdem tene-
bras poteris depellere scientiarum notitia, atque autoritate tutare noveris pro-
bitate, quidquid in illo non adeo fuerit excultum humanissime ferre volueris;
quod si materia divinum; quia theosophicum pulchritudine non fuerit egre-
gium, nec arte ingeniosum, ac proinde ut inquit Tulbertus Episcopus Car-
notensis. *Nec pondere, nec ingenio placet artificis munus, non aliter tamen
illud amplectere, quam superi, vel thura, vel pinguum libamina victima-
rum; illi siquidem non hostiam, sed affectum considerant eorumque gratiam
devotio, non impensa promeretur, purus & integer animus eos quocumque
vult inclinat, nec minus quadrante, quam talento, cœlestem mitigat indigna-
tionem.*

Quam prudenter hunc scopum collimans mortalium omnium sapientis-
simus Magister Salomon hæc aurea verba profudit. Proverb. 17. *Gemma gra-
tissima expectatio præstolantis.* Vel ut ex Hebræo legitur. *Lapis gratia mu-
nus in oculis Domini ejus quocumque se verterit, prudenter intelligere faciet,
& prosperabitur.* Ac si dicat, munus quod Principi redditur, gemma est
splendidissima, lapillus pretiosissimus, unde quaque scintillans, qui benevo-
lentiam Principi conciliat, & amorem ipsius venatur, redditque dilectum Prin-
cipi illum, cujus digiti ipso muneris lapillo venuste, ac pulchre exornantur.
Quid mirum cum Theodoricus prudentissimus non dicam Rex, sed Impe-
rator teste Cassiodoro non solum donum, sed oblationem muneris gratif-
simam appelleret: redeant, inquit, ad cubiculum vestrum munera, quorum tan-
tum oblatio videtur esse gratissima. Quod considerans D. Chrysostomus ho-
mil. 7. in Epist. ad Rom. sic ait. *Quid magni Petrus dedit, nonne rete con-
fractum, & calamum, & hamum solum? sed tamen terra illi universa do-
mos Deus aperuit, & terram, & mare expandit, ac nemo non illum in suas
ades vocavit; atque adeo omnia bona sua à se divendita ad illius pedes dese-
rebant: nec enim in manus conjiciebant, ut qui non id sibi audientia sume-
bant, tantum illi honorem una cum munificentia tribuebant.* En munusculum
Petri Princeps liberalissime, en præmium Christi, hunc animum indue ad
cujus imitationem in omnibus totum te ipsum componis, erit ut hac clemen-
tia erectus animus sublimiora affectet, atque supra se exurgens Principe di-
gnum quidpiam medietur, vale, & vive diu Ecclesiæ, ita voveo, & opto.